

Dissertatio medica de morbo puerperali : Eruditorum examini subjicit / T.M. Winterbottom. A.M. Anglus.

Contributors

Winterbottom, Thomas Masterman, 1765-1859.
University of Glasgow.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Glasgae : In aedibus academicis, excudebat Andreas Foulis, academiae typographus, 1792.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/xm6wc2rg>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution


This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.


You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

8





DISSERTATIO MEDICA

DE

MORBO PUERPERALI

DISSERTATION

ON THE

OF

THE

DISSERTATIO MEDICA
DE
MORBO PUERPERALI.
QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE DIGNISSIMI VICE-CANCELLARII,
ARCHIBALDI DAVIDSON, S. S. T. P. P.
ET COLLEGII GLASG. PRAEFECTI:

NEC NON
Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,
Et Nobilissimae FACULTATIS MEDICAE Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILE-
GIIS RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS;

IN COMITIIS
UNIVERSITATIS GLASGUENSIS,
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT
T. M. WINTERBOTTOM. A. M.

ANGLUS.

Ad diem vii Martii hora loquoque solitis.

Huc ades, et tenerae morbos expelle puellae,
Huc ades, intonsa Phoebe superbe coma.
Crede mihi, propera : nec te jam, Phoebe, pigebit
Formosae medicas applicuisse manus.

GLASGUAE:
IN AEDIBUS ACADEMICIS
EXCUDEBAT ANDREAS FOULIS,
ACADEMIAE TYPOGRAPHUS.

M.DCC.XCII

THE HISTORY OF THE

REVOLUTION

OF THE UNITED STATES

IN THE YEAR 1776

BY JAMES OSGOOD

IN TWO VOLUMES

VOLUME II

THE BATTLE OF BUNKER'S HILL

THE SURRENDER OF PHILADELPHIA

THE ESCAPE TO Lancaster

THE BATTLE OF RED BANK

THE SURRENDER OF MIFFLIN

THE BATTLE OF RED BANK

THE SURRENDER OF MIFFLIN

THE BATTLE OF RED BANK

THE SURRENDER OF MIFFLIN

THE BATTLE OF RED BANK

THE SURRENDER OF MIFFLIN

THE BATTLE OF RED BANK

THE SURRENDER OF MIFFLIN

THE BATTLE OF RED BANK

THE SURRENDER OF MIFFLIN

THE BATTLE OF RED BANK

THE SURRENDER OF MIFFLIN

THE BATTLE OF RED BANK

THE SURRENDER OF MIFFLIN

THE BATTLE OF RED BANK

ROBERTO WILLAN, M. D.

PROPTER INNUMERA

IN SE COLLATA BENEFICI, A

ANIMI HAUD INGRATI

TESTIMONIUM,

HANC DISSERTATIONEM MEDICAM

SACRAM ESSE VOLUIT

AUCTOR.

ROBERTO WILLIAM M.

ROBERTO WILLIAM M.

ROBERTO WILLIAM M.

ROBERTO WILLIAM M.

ROBERTO WILLIAM M.

ROBERTO WILLIAM M.

ROBERTO WILLIAM M.

ROBERTO WILLIAM M.

DISSERTATIO MEDICA

D E

MORBO PUERPERALI.

HIC morbus sub finem secundi, vel ineunte tertio post partum die fere incipit; hoc vero non perpetuum est: interdum fit ut notae ejus intra horas viginti quatuor se prodant; aliter vix ante sextum diem vel tardius superveniant.

Accessio morbi incerta est, et obscura, nullo frigore nec calore notabili praecedente. Sed aegra interdum, primo, levi horrore tentatur. Postea conqueritur de abdominis dolore qui praecipue epigastrium aut umbilicum torquet, aliquando ad hypogastria et ex hinc saepe ad dorsum lumbos et inguina pertingit.

Abdomen plus minus tumescit, et adeo immaniter dolet ut ne quidem tactum levissimum ferre possit.

Multa biliosa, vel subviridia vomitu saepe rejiciuntur: alias nausea multum exercet; simulque ineffabilis quidam molestiae intra ventriculum vel

anxietatis sensus qui singultum in provectiore morbo etiam provocare videtur.

Lingua plerumque albida est sed mollis ; interdum crusta quadam fusca aut subnigra (quae et dentes inficit) obducitur ; tandemque morbo in finem vergente, magis arida fit et aspera, colore ejus in nigrum mutato.

Alvus primis diebus astringi solet, deinceps saepius resoluta est. Colluvies tum biliosa, aliquando cum foetore intolerabili excernitur : et quasdam tenesmus simul vexat.

Arteriarum pulsus fere semper debiliores celerioresque fiunt ; et progrediente morbo, levissimis causis adeo excitantur ut vix numerari queant.

Sunt, qui tradunt arterias pleno ac duro ictu plerumque micare : sciendum tamen est hoc perraro et nonnisi robustioribus accidere, nec longum tempus perdurare. Pulmones raro in discrimen veniunt, donec vel aegrae vires frangantur, aut dolor abdominis multum exacerbetur : impedito tunc diaphragmatis descensu, spiritus difficiliter trahitur cum anhelatione et suspiriis.

Dolor acutus ad frontem et tempora perſentitur; ſed morbus hoc ſibi proprium habet, quod delirium nunquam, niſi morte appropinquante, ſuperveniat.

Lochia frequenter ratione ſolita fluunt, interdum exiguum aliquid et foetidiffimum deſcendit. Hocce profluvium ubi morbi initio ſupprimitur, fere ſemper, declinante eo, iterum erumpit. Neque lactis ſecretio ulla certa ratione procedit. Nonnullis lac plane deficit, mammis mire flacceſcentibus; in aliis fluit, ſed ſolito parcius, per totum morbi decurſum.

Signa irritabilitatis auſtae a mali primordiis conſpicua ſunt. Praecordia quaſi opprimuntur; animus moeſtitia ſumma tenetur, innuptis praecipue; graviffima de morbi infauſto exitu pleraſque anxietas urget. Vis muſcularis uſque adeo infirmatur, ut intra aliquot horarum ſpatium a primo morbi ingreſſu, aegra vix ſe in lectulo movere poſſit. His adjungitur ſumma inquietudo et pervigilium, vel ſi aliquantulum dormire inceperit parum inde levatur, ſed ſubito quaſi horrore expergeſacta eſt.

Omnia nunc pejora fiunt; vires, magis magisque franguntur; arteriae multum turbantur; ſpiritus cum difficultate redditur, urina et faeces in-

sciiis elabuntur; sudores visceri ac frigidi erumpunt; quae omnia mortem certo instantem indicant.

Morbus hic in nullam certam finem tendit: unam vel alteram primo a partu die subita mors abripuit: attamen ante quartum aut quintum diem per raro et nonnisi ex pessima morbi indole ulla succubuit. Dies decimus et undecimus praecipue infaufti habentur. Variæ ab auctoribus morbi iudicationes recensentur, a quinto ad usque quindecimum diem, imo ad octodecimum vel serius.

Inter omnes constat, quo longius a die undecima protrahatur morbus, eo fere minus periculi habet, aegra tamen serius revalescit.

CAUSAE PRAEDISPONENTES dictæ, id agunt praecipue, ut subruant corporis vires simulque irritabilitatem ejus augeant. Harum vero duplicem rationem statuere licet: nempe aliae sunt quae ex nimio stimulantium usu corpus debilitant; aliae quae ob eorundem defectum vires labefactant.

Inter priores recenseri debent omnia quae corpus nimis justo calefaciunt, utpote victus lautior qui ex carnibus praecipue conficitur, liquores meraci cuiuscunque sint generis, diuturna ad magnum ca-

lorem expositio, acriora in intestinis congesta, vita desidiofa, alvus adstricta, affectus animi excitantes veluti ira, gaudium, &c.

In altera causarum specie, malum est a victu nimis parco, vel qui parum alimenti praebet. Huc etiam referenda est tempestas humida vel frigida; aër loci stagnans et impurus ab halitibus corporis factus; immunditia; humorum profluvia nimis larga et praesertim sanguinis. Affectus animi contristantes, scilicet luctus, anxietas, poenitentia; unde reddi potest ratio cur mulieres ab illicito amore gravidæ præter caeteras in hunc morbum labent.

CAUSAE OCCASIONALES. Pro causis puerperalis hujus morbi excitantibus habentur quaequæ parturientibus graviora, vel præter naturam accidunt. Sed de his auctores alii aliam sententiam protulere. Alii nempe placentam praemature evulsam, alii os uteri rudius pertrectatum incusant. Has res ad morbum faciendum aliquid conferre quis neget? tamen sola esse aut præcipua ejus excitamenta vix credibile; quia hic morbus aliquando, Lucina maxime favente, oboritur, nec minus quam post partum difficilem inscieque tractatum.

Fieri potius videtur ex pressura uteri gravidi subito ab arteriis et venis abdomen percurrentibus remota; unde circulationis ratio turbatur, et sanguis in interiora magis fertur; vasa ista jam debiliora atque vi sanguinis impulsu cedentia, ab humoris congestione undique distenduntur.

DE CAUSA PROXIMA hujus morbi diu multumque disceptatum est. Quapropter auctorum sententias, haud abs re foret, hic breviter indagare. Quae praecipue considerandae veniunt, haec sunt.

I. Excretorum mutatio.

II. Inflammatio.

III. Febris contagio.

Prima ad lochia potissimum spectat; quorum profluvium apud medicos semper attentionem non mediocrem sibi vindicat; nec mirum est quod in hoc casu praecipue notetur, cum deficientibus eis, valetudinem simul deficere inter omnes fere constat.

Hanc opinionem recentiores oppugnant, et in locum ejus alteram omnino contrariam suffecerunt. Volunt scilicet lactis metastasis ad abdomen aut in pelvim fieri. Haud operae pretium esset sententias

has curiosius perscrutare; nam alicui signorum enarrationem rite perpendenti, clare patebit, utramque fundamento parum stabili niti. Haud raro enim evenit quod lochiorum fluxu cessante, nullum inde incommodi percipiatur: alias dum rite ac tempestive fluunt quaedam nihilominus in morbum incidunt. Non est ut negem, lochia, hoc casu proinde ac in aliis saepe obstrui: attamen rationi non consentaneum est morbi sequelam pro morbo ipso habere. Neque lactis metastasis illa temere credi potest; saltem nullus unquam ostendit lac ab alio in alium locum sic translatum fuisse; nec leges humani corporis finunt.

Qui inflammationem subesse autumant, de sede ejus, multum inter se diffident; alii enim uterum laborare contendunt; alii et magnae famae viri, omentum solum affici: alii vero morbi causam in omenti et intestinorum inflammatione ponunt. Antequam tantas componere lites conemur haud alienum erit, hic ea percurrere quae de inflammatione allata sunt. Nempe cadaverum sectiones demonstrant, vasa sanguifera intra abdomen quasi turgida fieri; et minima plus solito rubescere: saepe etiam lati-

cem serosum coloris sublutei, materie puriformi commistum effundi; atque intestina visco quodam lymphae sanguinis haud multum abſimili ſibi invicem agglutinari.

His praemiſſis, inquiramus paullulum quænam ſigna, ex auctorum communi ſententia, inflammationem adeſſe docent. Hujus rubor et calor pro notis præcipuis vulgo habentur. At nullus tam vecors unquam fuit ut faciem inflammari contendat dum grata rubedine ſuffunditur, quamvis in tali caſu videre eſt et ruborem et calorem: unde liquet quam incerta inflammationis norma ſtatuta eſt. Nec recte calor, rubor, et vaſorum turgescencia quæ in tumoribus a labe ſcrofuloſa ortis conſpiciuntur ad inflammationem referri poſſunt: quia inflammatio nihil cum his commune habet. His ſcilicet, ſumma debilitas nunquam non adeſt, at illa in vigore et tenſione omnino conſiſtit.

Si ſententiam noſtram in medium proferre liceat; multa me inducunt ut credam ſemper uniformem, et unius eſſe generis inflammationem, quam ergo ſic definire vellem, “ Inflammatio vera præ ſe fert ſenſibilitatem nervorum dolorificam,

nec non auctam sanguinis velocitatem auctasque arteriarum partis affectae vibrationes *.”

Quae cum perpetua sint, facile patebit vim arteriarum tonicam necessario adauctum iri quo fiat inflammatio; ideoque ruborem vel vasorum distensionem vel calorem nihili aestimandum esse; quippe quae frequentius ex atonia ortum ducant.

In curanda inflammatione multum interest ut accuratam de ea notionem habeamus; nam si quis, facie potius quam morbi natura spectatis utraeque speciei pari modo mederetur, graviter erraret; atque aegrum in summum discrimen induceret. Sunt tamen qui rem veram quodammodo pervident tamen ut unum errorem evitent, in alterum haud minorem incidunt; inflammationemque in species diversas nempe scrofulosam, syphiliticam, erythematosam &c. partiti sunt: attamen istae non solum non habent verae inflammationis characterem, sed ab ea et cursu et eventu differunt. Species enim ab auctoribus supra recensitae, semper a causis remotis, scilicet, scrofula, syphilitide, debilitate, &c. excitantur; quibus submotis, calor et rubor cum vaso-

* Vide Pearson's Principles of Surgery.

rum plenitudine evanescunt. Inflammatio e contra cum semel inhaeserit, a causis excitantibus nullo modo pendet, sed ad aliquam certam finem vel crisin pergit.

Igitur si nostrae de inflammatione opinioni ulla fides est; vel si puerperalis morbi historia rite perpenditur, verisimile videbitur nullam inflammationem revera subesse.

Hic notandum est, signa quae in cadaverum sectionibus, inflammationem praegressam detegere reputantur, sententiae nostrae parum repugnare.

Materies per abdomen sparsim diffusa, vel superficiem intestinorum incrustans pro tali signo habetur, quasi ex lymphâ sanguinis coagulabili constaret: ab hac tamen longe distat, nam materies haec gelatinam magis representat, nec habet lymphae tenacitatem speciemve fibrosam; et plerumque ibi tantum reperitur ubi facillime concreescere datur, scilicet in interstitiis intestinorum. Quantitas ejus, partis rubori non consentanea est, cum superficies ea oblita parum aut interdum nihil rubescat; e contra (quod horum sententiae omnino adversatur, ex toto deficit ubi intestina maxima rubore inficiuntur:)

aliquando tamen materies coacti lactis instar latici ferofo innatat. Fluidi quoque serosi in abdomen effusi copiam, minime partium rubori respondere ex inde patet, quod in casibus quibusdam latex hic aequae abundat ubi nullus rubor conspicitur ac in aliis ubi maximus rubor adest.

Porro qui visceris alicujus labem pro causa habent, multum inter se de morbi sede discrepant: opinionem hanc quoque refellunt cadaverum sectiones, quae nullum viscus praeter caetera laborare patefaciunt, at modo hoc, modo istud, modo omnia simul rubedine continua suffundi.

Nunc ad eorum sententiam praetereundum qui morbum febrem contagiosam semper esse statuunt. Hi quoque in sententias plane contrarias ivērunt; alii enim febrem sui generis contagiosam incusant; alii solum febrem typhum solum adesse magis placet; sed illorum deprehendere errorem non difficile est. Siquando morbus epidemice grassatur, fomitem ejus certo detegere licet quatenus contagione crescat. Praeterea hujus morbi contagionem a typho non multum differre argumento est, quod nutrices quae aegrotas puerperali morbo de-

cumbentes curant, aliquando typhi contagione percelluntur; quod pari ratione puerperae in nosocomiis aliasve contagioni typhi objectae morbo nostro saepe corripuntur, eundemque cum aliis puerperis communicant. Neque hi qui morbum ex contagione sola typhi pendere volunt, rectius me iudice sentiunt; nulla enim argumenta nec certam in hac re experientiam proferunt ut huiusmodi opinionem confirment. Confitendum est sane morbum aliquando typhi speciem prae se ferre, attamen si quis accurate consideraverit aegrae statum antequam in hunc morbum incidat, et causas remotiores quae in typhum aequae ac in hunc morbum proclivitatem inducunt, mimime mirum videbitur morbum nostrum aliquando cum Typho commisceri posse, si quando miasma febrile aderit.

Morbus Puerperalis grassari epidemice dicitur: hoc vero rarissime fit; mulieres enim in nosocomiis actioni causarum praedisponentium imprimis objectae sunt, et corporis habitum irritabiliorem quam in domiciliis privatis acquirunt: haud mirum ergo videtur plures ex iisdem causis, contagione nulla instante, eodem morbo corripi posse.

Insuper exempla docent, e multis puerperis simul decumbentibus unam tantum in hunc morbum, caeteris salvis, incidisse.

Ex hinc concludere licet, auctores de contagiosa morbi hujus natura nimis temere decrevisse, non clare sentientes unum alteri superaddi posse.

Ex omnibus supra dictis patebit, theorias de morbo haftenus prolatas omnino fallaces esse, alteram igitur in medium proferenti mihi venia sit:

“Quod si deficient vires, audacia certe

“Laus erit; in magnis et voluisse sat est.”

Uteri gravidæ pressura amota, sanguinis circuitus magis ad interiora fertur: ex praegressis autem causis remotis vasa relaxata cursui ejus obistere parum valent, unde fit congestio, Gallice, *engorgement*, quae vasa jam irritabilia ad contractionem ultra vires ciet: hic status perstat donec vel aequilibrium circulationis reddatur; vel ex diarrhoea, factave in abdomen effusione, morbi crisis naturaliter superveniat. Ex irritabilitate adaucta fieri vix potest progrediente morbo, quin totum corpus in consensum trahatur; unde ictus arteriarum citiores evadunt, et vires brevi exhauriuntur: cum haec

symptomata febrim saepe mentiantur, auctorum exinde error innotescet qui hanc pro summa morbi habuere; attamen inter febrim veram et morbos qui in Erethismo * solo consistunt, magnum discrimen constituendum est.

I. Quia nunquam ex miasmate contagioso Erethismus oritur.

II. Quia fere nunquam delirio stipatur.

III. Semper ex irritatione aliqua evidentius pendet qua demum cessante hic quoque evanescit. E contrario febris semper ex contagione originem ducit, neque causarum remotarum ad morbum protrahendum actio continua necessaria; nam his remotis cursum suum nihilominus absolvit. Tametsi morbus iste puerperalis malignus haud saepe grassatur, verosimile tamen videtur eum saepius quam vulgo suspicari solet occurrere: puerperae enim saepe saepius post partum, alvo adstricta, vomitu et ventris torminibus corripuntur, sed raro multum inde incommodi pericipiunt; etenim perspiratio sponte

* Vocabulum hoc significare volo, statum illum Corporis febrilem, qui inter febres male recensetur, et semper cujusdam irritationis proles est, cognomen ei plerumque ex irritamenti specie inditur c. g. febris a vermibus. Lactea, &c.

erumpens, congestionem abdominis tollit; vel diarrhoea sponte superveniente, morbus solvitur. Inde ratio reddi potest cur post partum, diarrhoea modica semper fausta sit.

DIAGNOSIS. Morbus cum inveteraverit facile ab aliis omnibus differt; quantum dolorem gravem et tumorem abdominis attinet; sub initiis vero difficilior dignoscitur: in re adeo momentosa oportet igitur symptomata pathognomonica morborum qui hujus aliquando speciem induunt hic recensere.

In doloribus post partum, dolor haud perpetuus est, sed per intervalla redit; erethismus vix ullus est; abdomen tumore vacat.

In erethismo lacteo vel febre lactea, uti vulgo appellatur, mammae lacte repletae, tumescunt; dolor a mammis ad axillas pertingit.

Hysteritis ex molesto gravitatis sensu et dolore pulsatili intra hypogastrium cognoscitur; os uteri tactu dolet.

In enteritide, dolor perpetuus est, nec unquam loco movet; aliquando per totum abdomen diffunditur, sed praecipue circa umbilicum faevit*.

* Inter enteritidem et colicam diagnosi haud certa ponitur; colicam enim aequae ac enteritidem aliquando erethismus comitatur

In Colica, dolor saepe situm mutat, nunc hic vel illic incerte torquens; exacerbationem et remissionem quoque patitur.

In cholera, ab initio morbi diarrhoea et vomitus maxime urgent: brachia et fura spasms corripuntur.

In morbo tam insidioso **PROGNOSIS** est incerta et difficilis; ex pulsus et respirationis statu iudicium praecipue est. Quae faustum eventum praedicant, sunt, ictus arteriarum pleniores et tardiores facti; post diarrhoeam pulsus tardior; spiritus facile, tarde, nec cum dolore tractus; lingua humida et mollis; decubitus in latus facilis.

Sciendum tamen est, intra viginti quatuor horas a morbi principio, symptomata aliquando mitiora fieri, vel plane evanescere, adeo ut faustus eventus appropinquare videatur, sed his fides adhiberi non debet, nam post tales inducias morbus saevius ingruit, et aegram meliora expectantem subito tollit.

Quae exitum funestum indicant haec sunt; accessio morbi statim a partu; pulsus parvus mobilis

et in utroque casu alvus adstricta est; has igitur distinguere difficile est, nisi doloris naturam spectemus, nempe an perpetuus ac constans sit, vel situm mutat et identidem exacerbetur.

atque irregularis; respiratio difficilis et anxiosa; maculae infra cuticulam fubrubrae, praecipuae circa articulos erumpentes; abdomen tumidum diarrhoea adhuc persistente, et hoc praecipue si dolor ex epigastrio ad umbilicum pertingens, praegreditur; rubor genarum circumscriptus; lingua sicca aspera et nigricans. Mortem imminuentem ostendunt abdominis dolor subito cessans, faeces involuntarie dejectae, sudores viscosi ac frigidi, qui circa pectus et faciem erumpunt.

RATIO MEDENDI. De prophylaxi haud operae pretium esset hic fuse tractare; sed imprimis requiritur, ut occurramus quantum fieri potest irritabilitati istae, quae ex causis praedponentibus antea recensitis, oritur.

Ad morbum ipsum medendum igitur, attentionem nostram praecipue adhibere oportet. Curatio tribus potissimum modis instituenda est.

I. Internam congestionem submovendo.

II. Debilitatis effectibus obstando.

III. Symptomata graviora consopiendo.

Ut primum propositum rite exequamur, vomitum primo morbi insultu provocare oportet: emetica enim non solum id agunt ut ventriculum exo-

nerant, sed et interiora levant sanguinis cursum ad extimas partes dirigendo. Ipecacuanha in hanc finem maxime laudatur; antimonialia longe me iudice praestant, quia efficaciora sunt, et effectum magis durabilem edunt; haec medicamenta etiam peracta vomitione saepius alvum solvunt summo aegrotis emolumento.

Vomitio iterata, vel nausea a parciore emetici dosi excitata debilitatem augent: quinetiam abdominis dolorem, ad vomitum nifus plurimum intendit.

Peracto vomitu purgantia maxime conferre omnes consentiunt, nec pauci sunt qui hoc cardine medelam ex toto versari opinantur; nec quidem inapte, quia ex diarrhoea sponte orta morbus saepe solvitur; et hoc quodammodo praevidere licet. Evacuatio enim fit ex vasis ipsis quae congestione morbida praegravantur, et quae deinceps vim naturalem recuperant.

Antimonialia si post vomitum alvum quoque movent, admodum proficiunt: sed mitiora experiri magis conveniet si alvus non respondet, vel si a nausea timendum est: ol. ricini vel pulv. Rhabarb. suf-

ficiunt, vel sales neutri, inter quos, sal cathart. Amar. eminet semper enim alvum solvit et vomitum raro ciet. Interdum in mulieribus summe infirmis alvum lotionibus ducere expedit.

Diaphoretica ab auctoribus multum laudantur, nec injuria: humores enim ab interioribus avertunt, et ut aequabilius in caeteras partes distribuantur efficiunt; in hanc finem antimonialia a medicis parca quantitate adhibentur, at minus recte, nam ventriculo nocent et aegrae vires infirmant. Modica per cutem exhalatio prodest; si largior vel in longum protracta fuerit; si a nimio calore vel ab his quae aroma habent, provocetur, perniciofa est. Medicamenta hujusmodi leniora plus adjuvant, quae et post vomitionem praecipue danda sunt, quia tunc sudorem facilius et tutius movendi copia datur. Aqua ammoniae acetatae et mistura camphorata hic utiles sunt; quibus addantur potiones aquosae, vel acidulatae, prout aegrae fert voluntas.

De sanguinis detractione in hoc morbo inter auctores non constat. Quidam ipsis initiis mittunt; et in hoc omnem fausti eventus spem ponunt. Sed lubentius aliorum sententiae accedo, qui statuerunt

omnino abstinendum esse, cum timor sit ne "parvae fugiant cum sanguine vires".

Ad secundum nunc propositum venimus, quod semper ante oculos versari debet, nempe ut debilitatis effectus sedulo amoveamus: primo igitur opera danda est, ut irritabilitas corporis minuatur, causis praedisponentibus antea dictis tempestive occurrendo. Huc multum confert diaeta tenuis ex falep, fago, tapioca, et jusculis parata quae omnia alimenti fatis praebent et facile concoquuntur.

Profunt et remedia stimulantia, sc. Aromatica, et quae cardiaca vocantur; corpus enim excitant, ventriculum roborant, cordis et arteriarum vires reficiunt, augentque: inter haec, vinum, opium, et camphora praecipuum tenent locum. Opium modica dosi, saepius repetita dari debet: sic interdum perutile est, sed effectus non semper certos habet. Vinum praestantius est, quippe ventriculo gratum constantioreque et magis durabili vi pollet.

Inter roborantia memoratur imprimis ab auctoribus cortex peruvianus, quod remedium experientia parum comprobatur: nauseam enim saepe creat et alvi profluvium aegre coercendum movet. Huic

praestant amara alia, utpote quassia, columbo, cascarrilla &c. quae eadem virtute praedita sunt, nec intestina turbant; et horum tincturae plusquam infusiones proficere videntur.

Inter symptomata graviora quae aegram exercent et medico curanti adversantur, attentionem primo postulat iste ad vomitum nifus a ventriculo nimis gravato: et hoc quidem leni emetico dato facile cedit. Alvum adstrictiorem commode laxant haustus Riverii cum magnesia alba loco alkalini salis parati; acidus aëreus in hoc processu evolans vomitum compescendi miram potestatem habet; et magnesia limonum succo conjuncta novam formam induit qua intestina sollicitat et deorsum tendit. Ventriculo depleto, si nausea tamen male habet, ad opium confugere oportet.

Diarrhoea nunquam omnino suppressenda est quia hac via, monstrante natura, morbus saepe solvitur; cavendum autem est ne ex nimio profluvio, aegrae vires frangantur; ad hanc temperandam ergo infus. columb. multum et jure commendatur: alia astringentia, extr. ligni campech. succus japon. Gummi Kino quoque utilia sunt; neque hic

praetermittatur cortex angusthurae nuper advectus, qui ad lubricam alvum sistendam, et ad tormina multum conferre dicitur. At caeteris omnibus praestare videtur opium vel per os datum vel lotionibus immissum; his quoque quae restringunt et emolliunt commode adjungi possunt. Ad dolorem istum levandum qui aegras gravissime vexat cucurbitulas abdomini admoveere oportet. Has si partes tensae et exquisitae jam sensu praeditae, non ferunt, hiru-
dines saltem applicandae sunt. Vesicatoria quoque multum profunt. Aegrae vires prostratae semicupium vix admittunt, sed fomenta saepe repetita dolorem levant et perspirationem cutaneam promovent.

F I N I S.

